



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Doctrinae Saxoniarvm Ecclesiarvm, Scripta
Anno Domini M. D. LI. Vt Synodo Tridentinae Exhiberetvr**

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1554

VD16 C 4808

De Libero Arbitrio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35345

Luc. ii Quanto magis dabit Spiritum sanctum
petentibus?

DE LIBERO ARBITRIO.

IAm hic nota sit etiā doctrina de libero arbitrio. Semper in Ecclesia homines recte eruditi distinxerunt disciplinam & nouitatem spiritus, quę est initiū uitæ æternæ: & docuerūt, in homine libertatem voluntatis talem esse, ad regendos externos motus membrorū, qua etiam non renati utcunq; disciplinam, quæ est externa obedientia iuxta legem, præstare possint.

Rom. s Sed homo nequaquam potest se libera re à peccato, & morte æterna, uiribus naturalibus: sed hæc liberatio & conuersio hominis ad Deum, & nouitas spiritualis, fit per filium Dei uiuificantem nos spiritu suo sancto, ut dictum est: Si quis Spiritu Christi non habet, hic non est eius. Et uoluntas, accepto Spiritu sancto, iam non est ociosa,

Ac Deo gratias agimus pro hoc immenso beneficio, quod nobis propter filium, & per eum, dat Spiritum sanctum, & nos suo spiritu regit: & damnamus Pe lagianos

Iagianos & Manichæos, ut hæc suo loco
copiosius explicamus.

DE NOVA OBEDIENTIA.

Totum beneficium filij Dei consideran-
dum est, Ita enim uult peccatum &
mortem tollere, & nos ex regno diaboli
eripere, ut prorsus abolito peccato & de-
leta morte, restituat in nobis æternam ui-
tam, in qua Deus nobis communicet sapi-
entiam, iusticiam, & læticiam suam, & in
qua sit Deus omnia in omnibus.

Hoc sumimum beneficium incoat in hac
misera massa, in hac uita, sicut scriptum est:
Superinduemur, si tamen non nudi reperi-^{2. Cor. 5}
emur. Item, Qui perseverauerit usque in fi-^{Mat. 10}
nem, hic saluus erit. Itaque cum accipimus
remissionem peccatorum, & reconciliati su-
mus, & ob signati Spiritu sancto, hæc bo-
na effundere horrendus furor est: sicut de-
scribuntur effundentes, in parabola de do-
mo mundata. Et in 2. epistola Petri dici-
tur: Si hi qui effugerunt contaminationes
mundi, per agnitionem Domini & salua-
toris IESV Christi, his rursus impliciti
succumbunt, fiunt eis postrema deteriora
prioribus. Effun-